
De Aristidis Quintiliani doctrinae harmonicae fontibus

Hermann Deiters

A. gr. b.
160 t 4°

(Aristides)
Deiters



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Goo

Deiters

Ml 94.6 160

66 d

Programm

des

Königlichen Gymnasiums zu Düren

über das Schuljahr 1869—1870.

Von

dem Director der Anstalt

Dr. Wilhelm Bogen.

Voran geht eine Abhandlung:

De Aristidis Quintiliani doctrinae harmonicae fontibus. Part. I.


Von Oberlehrer Dr. Hermann Deiters.

Bonn,

Druck von Carl Georgi.

1870.

Digitized by Google



Digitized by Google

De Aristidis Quintiliani doctrinae harmonicae fontibus.

Veterum de arte musica scriptorum qui aetatem tulerunt unus Aristides Quintilianus quaecumque ad huius artis rationem ac scientiam pertinere viderentur complecti et quasi in uno conspectu collocare conatus est. Trium enim quos conscripsit *περὶ μουσικῆς* librorum primo, designatis antea singulis totius scientiae partibus, *τεχνικὸν* eius *λόγον* tripartita ratione tractavit atque de harmonica rhythmica metrica doctrina singillatim exposuit; altero deinde *τὸ παιδευτικόν* aggressus quam vim exerceat musica in animis hominum fingendis et emendandis moribusque educandis demonstrat; tertio denique, quo continetur *τὸ φυσικόν*, Pythagoricam de harmonia ad rationes arithmeticas redigenda doctrinam persequitur quaeque inter musicam artem totiusque mundi ordinem intercedat concordia uberius explicat. In quibus rebus sane fatendum est nequaquam pari ubique diligentia eum versatum esse. Nam cum in morali musicae vi explicanda laudabile studium posuerit ac philosophorum de his rebus praeceptis satis se imbutum praestiterit, de technica eius parte ita disseruit, ut neque accuratae doctrinae neque circumspecti iudicii laude dignus haberi possit. Videtur scilicet ea quam brevissime praemissurus fuisse ne quid in absolvenda operis forma desideraretur neu fundamentum deesset in quo reliqua exstruerentur; quamobrem nihil mirum, quod eorum nihil prorsus ipsius ingenio aut industriae debetur, verum ex antiquiorum scriptorum libris plurima sumpta sunt. In quibus concinnandis quamquam saepe tanta cum negligentia versatus est, ut quae inter se pugnarent, quibus bis idem proferretur, ubi necessaria desiderarentur prorsus non videret, tamen cum eis contineantur permulta gravissimi momenti veterum praecepta eaque nonnunquam ab uno Aristide nobis servata, operae pretium facturus videbitur qui quibus potissimum auctoribus usus esse videatur, investigare instituerit.

Atque cum in rhythmicorum Aristidis fontibus cognoscendis acerrimo studio elaboraverint Westphalius, Susemihlius, alii, de harmonicis nihil hucusque certi in

Digitized by Google

medium prolatum est. Nam postquam **Marcus Meibomius**[1]) pronuntiavit videri sibi ex variis haec harmonica ab Aristide esse collecta, quae non nimis accurato ordine disposuisset, **Westphalius**[2]) eum simpliciter inter eos posterioris aetatis musicos connumerat, qui ex ingentibus Aristoxeniae doctrinae copiis sua hauserint. Quod quidem haud satis considerate dictum esse censuit **Car. Ianius**[3]), qui exemplis allatis ostendit inesse etiam Aristidis libro quae ab Aristoxeni doctrina prorsus aliena sint. In hac opinionum discrepantia singula scriptoris capita atque adeo singulae sententiae examinandae et cum ceterorum libris comparandae erunt, quo facilius dignosci possit, quo quaeque videantur referenda esse. De qua re quae per hanc scribendi opportunitatem proponenda esse duxi, quamvis eis inchoetur potius quaestio illa quam absolvatur, tamen cum ad amplius persequendam eam fundamentum parare videantur, aequo animo spero acceptum iri.

Quibus igitur veterum libris in harmonicis componendis usus sit, eorum Aristides ipse ne verbo quidem nos facit certiores. Habes sane in modorum sive *τόνων* doctrina (p. 22. Meib.) summi **Aristoxeni** nomen; cui tamen cum tredecim tantum modos musicos notos fuisse dicat, a recentioribus autem eum numerum ad quindecim auctum, de quorum deinde coniunctione uberius disputat, vix tibi persuadeas ipsius Aristoxeni librum hoc loco ab Aristide adhibitum esse. Hoc igitur excepto cum nullum praeterea musici nomen in ipsis harmonicis legatur, memoratu tamen dignum videtur, quod compluribus locis *οἱ παλαιοί* sive *ἀρχαῖοι* in testimonium vocantur; quo nomine diligentius verba scriptoris considerantes videbimus maximam partem non quicunque ante Aristidem vixerint, verum qui Aristoxeno sint antiquiores, significari. Nam quod p. 14 veteres (*οἱ ἀρχαῖοι*) systemata musica ita composuisse dicuntur, ut singuli soni *διέσεως* sive quartae toni partis spatio inter se distarent, animadvertent horum scriptorum lectione imbuti morem istic commemorari harmonicorum veterum ab ipso Aristoxeno acerrime vituperatum[4]). Nomina intervallorum *συλλαβή*, *διοξεία* (immo *δι' ὀξειῶν*), *ἁρμονία* pro usitatis *διὰ τεσσάρων*, *διὰ πέντε*, *διὰ πασῶν* usu viguisse narrat *παρὰ τοῖς παλαιοῖς* p. 17, quibus ab Aristoxeno quidem alienis Pythagoreos usos esse discimus a Porphyrio (ad Ptol. p. 271) et Nicomacho Geraseno (p. 17. Meib.). Antiquissimas illas harmoniarum divisiones p. 21 descriptas, *αἷς καὶ οἱ πάνυ παλαιότατοι κέχρηνται*, cum nonnisi enarmonii generis ratione institutae sint, apparet rursus Aristoxeno antiquiores esse. Intervallorum deinde quo-

1) Edit. Arist. Qu. p. 327.

2) Allgemeine Metrik p. 152.

3) Die Harmonik des Aristoxenianers Kleoneides (Landsberg 1870) p. 11. Viderat hoc etiam Bojesen, de harmon. scient. Gr. p. 27.

4) Cf. Aristox. p. 27. 53.

Digitized by Google

rundam obsoletorum, quibus *ἐκβολὴ ἔκλυσις σπονδειασμός* nomina erant quaeque *τοῖς παλαιοῖς* nota fuisse tradit Aristides p. 28, duo priora a Polymnasto musico antiquissimo inventa esse testis est Plutarchus de mus. 29. Postremo ne quid omittam, in harmonicis *τοὺς παλαιούς* praeter locos supra citatos habemus p. 6. 7. et 18, ubi systemata ab eis *ἀρχαὶ τῶν ἠθῶν* appellata esse dicuntur. Eorum autem musicorum, quos hoc *παλαιῶν* vocabulo significare potuit, unius saltem nomen prolatum legimus in libro secundo Damonis, quem doctrinae de morali musices vi testem appellat p. 95.

Eorum autem qui ante Aristoxeni aetatem de rebus musicis scripserunt [1]) duplex maxime fuit consilium, ut aut discentibus brevem artis epitomen notarum musicarum tabulis instructam proponerent aut quibus rationibus singulae musicae partes animos hominum commoverent quodque cuiusque esset *ἦθος* accuratius pervestigarent. Hoc postremum ad antiquiores maxime pertinuisse cum ab ipso Aristide (cf. p. 64 etc.) tum a Plutarcho (de mus. p. 37) memoriae proditum est. In quo quidem non solum a musicis verum a philosophis quoque acre studium positum esse haud mirabimur, cum meminerimus quantam vim in puerorum animis conformandis Graeci tribuerint musicae [2]). De qua re quae ad Pythagoram referuntur quamvis fabulis potius ornata quam historiae fide confirmata ostendunt tamen eam musices vim apud Pythagoreos summi momenti habitam esse [3]). Omnium autem gravissime de hac re disputavit Plato, vir artis musicae peritissimus; quem in musica iudicanda hoc maximum putasse ut ea homines meliores fierent et honestum amare discerent, cum ex aliis locis compluribus tum maxime e praeclaris libri de republica tertii verbis perspicitur, ubi quae harmoniae virum deceant, quibus instrumentis utendum, quibus abstinendum, qui rhythmi ad honestum accommodati sint, hoc maxime consilio quaerit [4]), ut rempublicam suam pravis moribus liberam praestet. Hinc autem omnis ut ita dicam pendet Aristides noster, qui cum in demonstranda illa musices vi ethica plurimum operae posuerit, huius ipsius doctrinae Platonem ducem secutus est certissimum. Cuius

---

1) De his compares velim quae Westphalius disputavit Harmonik p. 27 sq.

2) Aristot. Pol. VIII. 7 *νομίσαντες οὖν πολλὰ καλῶς λέγειν περὶ τούτων τῶν τε νῦν μουσικῶν ἐνίους καὶ τῶν ἐκ φιλοσοφίας ὅσοι τυγχάνουσιν ἐμπείρως ἔχοντες τῆς περὶ τὴν μουσικὴν παιδείας* —. Ipse Aristoteles hunc locum amplius persecutus est, cf. Pol. VIII. 7. (Probl. XIX. 27. 29.)

3) Cf. Arist. Qu. p. 116. Ptolem. III. 7. Sext. Empir. adv. mus. 8. Huius Sexti notabilis est locus de *ἤθους* notione in musica. adv. mus. 48. Nostra aetate eam rem docte illustravit Bojesen ad Aristot. Probl. p. 92.

4) Plato de Rep. III. p. 397 sq. Cf. praeterea Protag. p. 326. — Plut. de mus. 17 *πάνυ γὰρ προσέσχε τῇ μουσικῇ ἐπιστήμῃ Πλάτων ἀκουστὴς γενόμενος Δράκοντος τοῦ Ἀθηναίου καὶ Μετέλλου τοῦ Ἀκραγαντίνου.* Is autem Dracon Damonis fuit discipulus.

Digitized by Google

quidem pluribus locis diserte mentionem facit[1]), ubi aut de moribus musica educandis aut de numerorum rationibus a Platone ad animae creationem explicandam adhibitis loquitur; verumtamen etiam non appellatum persaepe secutus esse[2]), ac tanta denique diligentia in eius studium incubuisse videtur, ut hic illic vel scribendi genus imitando exprimere conatus sit[3]).

Quae cum ita sint, quaerendum videtur possitne etiam in ipsa harmonica eius doctrina cognatio quaedam demonstrari cum Platonicis praeceptis. Sane Plato ipse proprie de arte musica non exposuit; erat autem inter musicos illius aetatis, cui summa et in hac arte et in aliis sapientiae partibus tribueret, ipse ille Damon Atheniensis, Socratis amicus, Dracontis atque ut nonnulli volebant vel Periclis praeceptor[4]). Quem quanti aestimaret praeclare ostendit de rep. p. 400 B, ubi de rhythmorum generibus superbiae insaniae, omnis denique pravitatis maxime propriis eum potissimum consulendum censet. Is autem non solum ipse musica quaedam conscripsit, verum etiam sectae musicae auctor extitit *τῆς Δαμωνίου αἱρέσεως*[5]), cuius id maxime proprium fuisse apparet, ut quibus rebus niteretur ethica musicae vis et quomodo non solum in ipsis cantilenis et rhythmis, sed in systematis atque adeo singulis sonis conspicua esset diligenter investigaretur atque certo determinaretur; quod quidem ipse Aristides luculentissime demonstrat p. 95, cum dicit *ὅτι γὰρ δι' ὁμοιότητος οἱ φθόγγοι καὶ συνεχοῦς μελῳδίας πλάττουσί τε οὐκ ὂν ἦθος καὶ ἐνδομυχοῦν ἐξάγουσιν, ἐδήλουν καὶ οἱ περὶ Δάμωνα.* Illud vero Damonem praeter cetera spectasse etiam ex Athenaei verbis clare perspici-

---

1) Cf. p. 22. 68. 115. 144. 163. In philosophicis rebus Aristidem recentiori Platonicae doctrinae deditum videri monuit I. Caesar in luculentissima de Aristide dissertatione, Grundz. der griech. Rhythm. p. 16.

2) Exempla praebeant quae Aristides p. 108 de instrumentorum usu exposuit Platonicis (de republ. p. 399) simillima, aut quae de diversorum populorum moribus ad musicam aptis p. 75 narrat, ducta e quarto Platonis de rep. libro p. 485. Hoc postremum monuit I. Caesar l. c. p. 7.

3) De hac re cum longa sit quaestio neque *ἐν παρέργῳ* absolvi possit, pauca tantum quae in legendo mihi adnotavi hic apponam. Ita vocabulum *τευτάζει*, p. 61, in re prorsus simili legimus in Platonis Timaeo p. 90; *τιμαλφέστατον* p. 84, cf. Pl. Tim. p. 59; *ὑποστάθμη* p. 124, cf. Phaed. p. 109: *γνωματεύειν* p. 120, cf. de rep. VII. p. 516; *τελεσιουργός* p. 135, cf. Phaedr. p. 270: *προπαιδεία* p. 163, cf. de rep. VII. p. 536. Etiam quibus p. 102 transitum facit ad instrumentorum vim tractandam *λέξω δὴ λόγον παλαιὸν μέν, σοφῶν δὲ ἀνδρῶν*, similia sunt Platonicis Tim. p. 21. *ἐγὼ φράσω παλαιὸν ἀκηκοὼς λόγον οὐ νέου ἀνδρός.* Denique in precatione ipsi disputationi praemissa p. 4. Platonis memor erat Tim. p. 27 c.

4) Plato Laches p. 180 C — *Ἀγαθοκλέους μαθητὴν Δάμωνα, ἄνδρα χαριέστατον οὐ μόνον τὴν μουσικήν, ἀλλὰ καὶ τἄλλα ὁπόσα βούλει ἄξιος συνδιατρίβειν — νεανίσκοις.* p. 197. Plutarch. Pericl. 4.

5) Porph. ad Ptol. p. 189, qui eam ante Aristoxenum extitisse tradit. *Ἁρμονίας τῶν φερομένων φθόγγων* ab eo propositas esse testis est Aristides p. 95.

Digitized by Google

tur quae leguntur libri XIV. p. 628 e. *οὐ κακῶς δὲ λέγουσιν οἱ περὶ Δάμωνα τὸν Ἀθηναῖον ὅτι καὶ τὰς ᾠδὰς καὶ τὰς ὀρχήσεις ἀνάγκη γίνεσθαι κινουμένης πως τῆς ψυχῆς· καὶ αἱ μὲν ἐλευθέριοι καὶ καλαὶ ποιοῦσι τοιαύτας, αἱ δ' ἐναντίαι τὰς ἐναντίας*, et postremo e Galeni narratione (de Hippocr. et Platonis decr. IX. 5), qui postquam tradidit quondam ebrios quosdam adolescentes Dorica cantilena, quam tibicina Damonis iussu Phrygiae loco cantasset, ad tranquillitatem esse reductos, sic pergit *οὐ γὰρ δήπου τὰς δόξας τοῦ λογιστικοῦ μεταδιδάσκονται πρὸς τῶν αὐλημάτων, ἀλλὰ τὸ παθητικὸν τῆς ψυχῆς ἄλογον ὑπάρχον ἐπεγείρονταί τε καὶ πραΰνονται διὰ κινήσεων ἀλόγων. τῷ μὲν γὰρ ἀλόγῳ διὰ τῶν ἀλόγων ἥ τε ὠφέλεια καὶ ἡ βλάβη, τῷ λογικῷ δὲ δι' ἐπιστήμης τε καὶ ἀμαθίας.* Idem autem *τοῦ λογικοῦ* et *ἀλόγου* discrimen exponens Aristides p. 61, cum *τοῦ ἀλόγου* ducem et magistram dicat esse musicam, rursus ad Damonis sententiam quamvis haud nominati se applicare videtur [1]). Quamobrem huius doctrinae vestigia latere facile suspiceris etiam in eis harmonicorum elementorum Aristidis locis, ubi *τῶν παλαιῶν* testimonio confirmanda censuit quae nobiscum communicat.

Ἀλλὰ προοιμίων μὲν ἅλις, ut cum Aristide loquamur; id enim nobis iam agendum est ut singillatim examinatis musicis eius praeceptis de fontibus eorum certius iudicare possimus. Quorum quidem initium inde facit ut quid et quale sit musica diversis rationibus definire conetur (p. 5 Meib.). Ac primum quidem musicam dicit esse *ἐπιστήμην μέλους καὶ τῶν περὶ μέλος συμβαινόντων*, sive scientiam de cantu deque eis quae in componendis agendisve canticis observanda sint. Haec definitio, quam eisdem fere verbis habet Bacchius [2]), haec habet propria, primum quod non solum ipsum artis usum et exercitationem sive *τέχνην*, verum totam eius scientiam sive *ἐπιστήμην* (die Theorie) significat; deinde quod eis, quae ad ipsam rem significandam necessaria sint, accurate se continet; nam cum vocabulum *μέλος* antiquitus omnino responderet nostro »Composition«, artis musicae vim optime determinavit qui quae ad *μέλος* pertinerent ea comprehendi dixit [3]). Haec autem omnium maxime conveniunt Aristoxeno, qui cum varia musica praecepta ad certae scientiae normam redigeret, id maxime cavendum putavit ne altius quam par esset ea repeterentur neu in initio faciendo nimia expectarentur [4]). In eius autem *ἀρχῶν ἁρμονικῶν* principio (p. 1) haec legimus: *τῆς περὶ μέλους ἐπιστήμης πολυμεροῦς οὔσης* etc., Aristideis

---

1) Similiter de hac re disseruit Plato de rep. IV. p. 440 sq.

2) Bacch. p. 1 *Μουσική τί ἐστιν; εἴδησις μέλους καὶ τῶν περὶ μέλος συμβαινόντων.*

3) Plato de rep. p. 398 *τὸ μέλος ἐκ τριῶν ἐστι συγκείμενον, λόγου τε καὶ ἁρμονίας καὶ ῥυθμοῦ.* Hoc postea dicebatur *τέλειον μέλος*, cui oppositum erat *ὀργανικόν*. Anon. 29. Cf. de hac ceterisque *μέλος* vocabuli notionibus Marquard. ad Aristox. p. 191. 203.

4) Cf. Aristox. initio *στοιχείων ἁρμονικῶν* p. 31. et quae ex eo affert Porph. ad Ptolem. p. 193.

Digitized by Google

ut facile apparet simillima [1]), quorum loco, si recte Marquardius censuit haec Aristoxeni scripta non integra sed posteriorum culpa decurtata legi, haud scio an plenam artis definitionem olim extitisse putandum sit. Nam Sextus quoque Empiricus [2]) cum musicam proprie dici tradit *ἐπιστήμην τινὰ περὶ μελῳδίας καὶ φθόγγους καὶ ῥυθμοποιΐας καὶ τὰ παραπλήσια καταγιγνομένην πράγματα* eaque ratione Aristoxenum recte vocari musicum addit, indicare videtur ipsam artem ab eo tali modo esse determinatam.

Iam alteram musices definitionem ab aliis propositam Aristides priori subiungit hanc *ὁρίζονται δ' αὐτὴν καὶ ὧδε· τέχνη θεωρητικὴ καὶ πρακτικὴ τελείου μέλους καὶ ὀργανικοῦ*, quam rursus ab aliis quoque posterioris aetatis musicis exhibitam legimus [3]). Eam qui proposuit, cavere studebat primum ne musices vocabulum de scientia solum acciperetur neglecto ipso artis usu; porro ne quis hunc usum ad cantum solum pertinere putaret; omnino *τὸ μέλος* accuratius definiendum putavit addito vocabulo *τέλειος*. Quorum quidem etsi nihil in Aristoxenum ipsum cadit, ut qui vix vereri potuerit ne quis illa desideraret, tamen propter similitudinem ab eius discipulis propositam puto. Vocabulum *τέχνη* in communi illorum fonte non extitisse puto, sed Aristidis ipsius arbitrio positum ad sequentium similitudinem. Eius enim vocabuli propria vis conspicitur in tertia musicae definitione Aristidea, qua dicitur esse *τέχνη πρέποντος ἐν φωναῖς καὶ κινήσεσιν*, sive ars decori in harmoniis et rhythmis (his enim congruunt *φωναὶ* et *κινήσεις*) servandi; ubi primum *τέχνη* vocabulum cum alias ob causas, tum quia, *ὡς οἱ παλαιοὶ διέγνωσαν*, vitae humanae utilitatem afferat, positum affirmat (p. 6, 16). Luculentius autem hic ethicam artis vim significat *τοῦ πρέποντος* vocabulo, cuius notionem amplius persequitur paulo infra (v. 30) *τὸ δὲ πρέποντος εἶναι τέχνην οὐκ ἀπεικότως· πᾶν γὰρ εὐκαταφρόνητον τὸ τοῦ πρέποντος ἐστερημένον· πρέπον γάρ ἐστι καλῶν καὶ αἰνετῶν ἢ τοῖς μὴ* [4]) *φαύλοις κόσμου μετάδοσις ἢ πρὸς ἄλληλα συμφωνία.* Nunc si attenderis etiam hanc definitionem paulo pleniorem extare apud Anonymum 29 *τέχνη πρεπόντων τε καὶ μὴ πρεπόντων ἐν μέλεσι καὶ ῥυθμοῖς, συντείνουσα πρὸς ἠθῶν κατασκευήν*, haud dubitabis quin hic Platonicam sive mavis Damoniam

---

1) Cf. praeterea Aristox. p. 32 *τὴν θεωρίαν περὶ μέλους.*

2) Sext. Emp. adv. mus. 1.

3) Anonym. Bellerm. 29 *Μουσική ἐστιν ἐπιστήμη θεωρητικὴ καὶ πρακτικὴ μέλους τελείου καὶ ὀργανικοῦ.* Ib. 12 — *ἐπιστήμη περὶ μέλος τὸ τέλειον θεωρητική τε καὶ πρακτικὴ τῶν ἐν αὐτῇ καὶ τοῖς μέρεσιν αὐτῆς*, sive ut alii dicerent *ἕξις θεωρητική τε καὶ πρακτικὴ καὶ ποιητικὴ τῶν περὶ τὸ τέλειον μέλος.*

4) Vocabulum *μὴ* in cod. Scal. et a Meibomio omissum, cum propter omnium fere librorum auctoritatem tum sententiae causa recipiendum duxi. Nam ex addito *συμφωνία* vocabulo patet scriptorem hoc voluisse ut ea quae ipsa non essent prava, rursus a pulchris et laudabilibus ornatum acciperent, ut igitur verbi gratia verbis pulchris aptae accommodentur melodiae rhythmique. Quod quidem musicae optime convenire e Platonicis verbis videbis quae statim afferemus.

Digitized by Google

de musicae notione sententiam propositam legas. Hoc autem certissime confirmatur primum eo, quod ipsum *τοῦ πρέποντος* vocabulum a Platone saepe ad musicas res adhibitum invenimus [1]), de cuius quidem in rhythmis eligendis vi ab ipso Damone edoceri se cupit; deinde quod musicam *τέχνην* ab eo vocari, in ea autem *φωνήν* et *σώματος κινήσεις* maxime spectari [2]), denique in ipsa notione eius definienda ethicam rationem praecipue commemoratam esse ipsius verbis luculentissime ostenditur [3]).

Tribus illis musicae definitionibus quartam postremo ut proposito suo magis convenientem addit Aristides hanc: *γνῶσις τοῦ πρέποντος ἐν σώμασι καὶ κινήσεσιν*, ubi cum et artis et vocis vocabula omitteret etiam amplius musicae vim patere et ad totius vitae mundique ordinem pertinere voluit, sicut Panacen Pythagoreum disputasse ipse testatur p. 3 [4]). Hoc igitur ipsius, seu potius eius philosophorum disciplinae cui se potissimum addixerit proprium habendum est; priora tamen illa ostendunt eum in definienda musica partim Aristoxenum eiusque discipulos, partim antiquiora Platonicorum praecepta secutum esse. Atque de musicae definiendae rationibus haec sufficiant.

Nunc vero priusquam scriptor ipsa harmonica aggrederetur, duo restabant quae sibi praemittenda esse putaret; primum enim de materia artis musicae exposuit (p. 7, 7—29, p. 8, 22 — p. 9, 6); tum universae disciplinae partes accuratissime descripsit (p. 7, 30 — p. 8, 22). Hic iure mireris iustum rerum ordinem incommodissime turbatum. Nam finitis ut videri poterat eis quae de materia musices sibi dicenda putaret (p. 7, 29) rursus ad eandem rem persequendam revertitur p. 8, 22, quasi nihil interiectum fuerit, quamquam illa quam diximus partium descriptio his immixta legitur. Et Martianus quidem Capella, quem notum est libro nono operis sui harmonica et rhythmica Aristidis in latinum sermonem vertisse, ita rem instituit ut prius de partibus musicae disciplinae dissereret (IX. 939) ac tum demum quae apud Aristidem praecesserant de motu vocis proponeret (937, Arist. p. 7, 15); quamobrem equidem facere non possum quin Aristidis orationem librariorum culpa turbatam esse credam. Quam

1) Plato de rep. p. 397 B *ἐάν τις ἀποδιδῷ πρέπουσαν ἁρμονίαν καὶ ῥυθμόν τῇ λέξει*, p. 399 A *ἐκείνην τὴν ἁρμονίαν ἣ ἔν τε πολεμικῇ πράξει ὄντος ἀνδρείου καὶ ἐν πάσῃ βιαίῳ ἐργασίᾳ πρεπόντως ἂν μιμήσαιτο φθόγγους τε καὶ προσῳδίας*, p. 400 B. *ἀλλὰ ταῦτα μὲν καὶ μετὰ Δάμωνος βουλευσόμεθα, τίνες τε ἀνελευθερίας καὶ ὕβρεως ἢ μανίας καὶ ἄλλης κακίας πρέπουσαι βάσεις, καὶ τίνας τοῖς ἐναντίοις λειπτέον ῥυθμούς.*

2) Plato Phileb. p. 17 C. D. Etiam quae de rep. p. 397 appellavit *ἁρμονίαν καὶ ῥυθμόν*, brevi antea significaverat vocabulis *φωναὶ καὶ σχήματα.*

3) Plato de legg. II. p. 673 A. *τὰ μὲν τοίνυν τῆς φωνῆς μέχρι τῆς ψυχῆς πρὸς ἀρετῆς παιδείαν οὐκ οἶδ' ὅντινα τρόπον ὠνομάσαμεν μουσικήν.*

4) *Μαρτυρεῖ δέ μοι καὶ θεῖος λόγος ἀνδρὸς σοφοῦ Πανάκεω τοῦ Πυθαγορείου, ὅς φησιν ἔργον εἶναι μουσικῆς οὐ τὰ τῆς φωνῆς μέρη μόνον συνιστᾶν πρὸς ἄλληλα, ἀλλὰ πάνθ' ὅσα φύσιν ἔχει συνάγειν τε καὶ συναρμόττειν.*

Digitized by Google

difficultatem hoc loco verbo tetigisse sufficiat, cum non de emendatione verum de fontibus Aristidis mihi dicendum sit.

Universam igitur musicam disciplinam in duas discerni partes ait (p. 7), quarum altera sive τὸ θεωρητικόν ea quae ad causarum materiaeque eius scientiam pertineant comprehendat, altera sive τὸ πρακτικόν quomodo ea ad conficienda et edenda musicae opera adhibenda sint edoceat. Theoreticam partem rursus dividit in φυσικόν et τεχνικόν, quorum priore naturales musicae causae ac principia tractentur (φυσικὸν κατ' ἐξοχήν) ac de numerorum rationibus in sonis comparentibus exponatur (ἀριθμητικόν), posterius autem in notas illas tres partes ἁρμονικὸν ῥυθμικὸν μετρικόν distribuatur. Rursus practica parte continetur primum τὸ χρηστικόν, quo de componendis musicae operibus agitur quodque trium eius elementorum ratione habita dividitur in μελοποιΐαν ῥυθμοποιΐαν ποίησιν, tum vero τὸ ἐξαγγελτικόν sive scientia de musicis operibus cantu instrumentisque repraesentandis, quo agitur de instrumentorum usu (ὀργανικόν), de ipso cantu (ᾠδικόν), de arte histrionum (ὑποκριτικόν)[1]. Hanc autem distributionem fuerunt qui ab ipso Aristoxeno

1) Marquardius (ad Aristox. p. 193) in hac distributione desiderari arbitratur ethicam partem s. τὸ παιδευτικόν, tractatum ab Aristide libro secundo. Nam verba Aristidis p. 8, 3 πρακτικὸν δὲ τὸ κατὰ τοὺς τεχνικοὺς ἐνεργοῦν λόγους καὶ τὸν σκοπὸν μεταδιῶκον· ὃ δὴ καὶ παιδευτικὸν καλεῖται integra esse non posse cum propter incertam τοῦ σκοποῦ appellationem, tum quia practica pars nullo modo idem ac τὸ παιδευτικόν possit significare. Putat igitur intercidisse quaedam et ita fortasse legendum esse τὸν σκοπὸν μεταδιῶκον τὸν τῆς παιδεύσεως, ὃ δὴ καὶ παιδ. κτλ., ut his verbis nova τοῦ πρακτικοῦ pars, priori seu τῷ ἐνεργητικῷ adiuncta significetur. Quae quidem mihi non persuasit vir de Aristoxeno optime meritus. Nam primum ne sic quidem assecutus est quod voluit, cum verba ὃ δὴ καὶ etc. si grammaticam rationem spectamus ad totam sententiam praecedentem neque tantum ad postrema eius verba referenda sint. Deinde eadem offensionis causa statim v. 12 denuo existeret, ubi in partibus τοῦ πρακτικοῦ enumerandis nihil de paedeutico s. ethico legimus. Postremo quod ethicam partem propterea hic desiderari putat, quod libro secundo ab Aristide copiose tractetur, potuit eodem iure τὸ πρακτικόν sive ἐνεργητικόν hoc quidem loco positum, in ipso autem opere maximam partem omissum mirari. Revera autem ei musici, qui in ethica musices vi explicanda elaborabant, in ipsa de componendis edendisque canticis doctrina, qua continetur τὸ πρακτικόν, eam vim ostendere debebant, neque ab ea seiunxisse putandi sunt peculiarem disciplinam παιδευτικήν. Aristidem quidem certum est inter πρακτικόν et παιδευτικόν non distinxisse, ut qui primum in partibus τοῦ χρηστικοῦ melopoeia et rhythmopoeia, quas theoreticis adiunxit, τοῦ ἤθους rationem habuerit (cf. p. 30, 17, p. 43, 3), deinde autem libro altero peracta de animae natura disputatione rursus singulas τοῦ πρακτικοῦ partes, doctrinam de verbis sententiisque a poeta adhibendis (p. 79 sq.) de melodiis in voce instrumentisve comparentibus (p. 91), de rhythmis eligendis (p. 97), porro de corporis motibus (p. 100) et instrumentorum usu (περὶ τῆς χρήσεως τῶν ὀργάνων, p. 108, cf. p. 100) pertractaverit, ea sane ubique ductus ratione, ut quam vim haec omnia in animis commovendis exerceant clarum fiat. Verum nihilo setius haec omnia ad πρᾶξιν non minus quam ad παίδευσιν pertinebant.

Digitized by Google

profectam opinarentur [1]), obliti sane ipsius Aristoxeni verborum Porph. p. 193 quibus cavendum censuit *ὅπως μὴ [ἐν τῷ ἄρχεσθαι] εἰς τὴν ὑπερορίαν πίπτωμεν ἀπό τινος φωνῆς ἢ κινήσεως ἀρχόμενοι*, et elem. harm. p. 32 ubi numerorum rationes ad sonorum diversitatem diiudicandam non esse adhibendas contendit; quibus efficitur neque *φυσικόν* istud neque *ἀριθμητικόν* ab Aristoxeno inter musicae doctrinae partes admitti potuisse. Verum tamen ne *κανονικοί* quidem illi, qui in sonorum serie describenda proficiscebantur a numerorum computatione, peculiarem arithmeticam musicae partem statuebant; immo haec ipsa eis erat *ἁρμονική*, cum harmoniae natura et leges a numerorum rationibus derivarentur, quod quidem videmus fieri a Ptolemaeo, Theone, aliis. Itaque hoc ab Aristide ipso ita excogitatum esse puto ut partes illas adderet; quippe qui ipse in opere disponendo hoc proprium habeat, ut harmonicam disciplinam primo libro absolutam rursus tertio retractet arithmetica ratione.

Physicis igitur illis partibus omissis distributionem assequimur non solum simpliciorem verum etiam aliorum testimoniis confirmatam, quorum primum excitaverim Martianum Capellam. Is enim (IX. 936) neglecta non solum physica parte sed etiam *θεωρητικοῦ* et *πρακτικοῦ* vocabulis tres distinguit musicae partes *ὑλικόν* [2]) *ἀπεργαστικόν ἐξαγγελτικόν*, quorum primum contineat harmonicam rhythmicam metricam, alterum (quod Aristidi est *χρηστικόν*) melopoeiam rhythmopoeiam poesin [3]), tertium *ὀργανικόν ᾠδικόν ὑποκριτικόν*. Apparet haec quamquam non ex ipso Aristide desumpta, tamen e simili atque illius verba fonte esse derivata. Idem vero hanc dividendi rationem iam Lasi Hermionensis aetate in usu fuisse narrat. quem Dario Hystaspi filio regnante vixisse ac primum de musica scripsisse tradit Suidas, et cuius scriptores musici plus semel mentionem faciunt [4]). Cuius nomine allato si quis dicat id egisse Martianum, ut vetere et illustri scriptore appellato plus fidei sibi compararet, tamen hoc ipsum animadversione dignum esse concedet, quod huius rei causa non Aristoxenum potius quam antiquiorem et Pythagoricae doctrinae deditum antestatus est. Nam vocabula etiam *ὑλικός* et *ἀπεργαστικός* antiquiori doc-

---

1) Cf. Rossbach griech. Rhythmik p. 5.

2) Vocabulum *ὑλικόν*, quod hic Martiano reddendum putavi, miror a novissimo eius editore neglectum eiusque loco vel invitis codicibus scriptum esse vulgatum *εἰδικόν*, quod quomodo explicandum sit vix dicas. *Ὕλην* autem seu materiam musices, quam Aristides hoc ipso loco p. 7 in voce motuque consistere dicit, etiam a Martiano hic significari ostendunt verba quae sequuntur „*ἀπεργαστικόν* est quidam materiae tractus efficiens exercitium eius.“ Etiam § 995 *ὕλη* materiae vocabulo redditum est. Sensum *ὑλικὸν κριτήριον* appellat Porphyr. p. 199. *Ὑλικὴ φύσις* Arist. Qu. p. 132.

3) Haec Martianus miro errore corrupta exhibet sic *μελοποιΐα λέξις πλοκή*, de quibus videndus Meibomius.

4) Aristox. p. 3. Theon. Sm. p. 90. Plut. de mus. 29.

Digitized by Google

trinae aptissime conveniunt [1]). Sed alterum habemus distributionis illius testem locupletissimum Plutarchum, qui de mus. 32 haec habet *τριῶν γὰρ ὄντων μερῶν εἰς ἃ διῄρηται τὴν καθόλου διαίρεσιν ἡ πᾶσα μουσική* [2]) *ἐπιστήμονα χρὴ εἶναι τῆς τούτοις χρωμένης ποιήσεως* [*τοῦ χρηστικοῦ* scil.] *καὶ τῆς ἑρμηνείας* [3]) *τῆς τὰ πεποιημένα παραδιδούσης* [*τοῦ ἐξαγγελτικοῦ*]. Idem vero in sequentibus ei, qui certo de rebus musicis iudicio imbui cupiat, maxime id spectandum censet ut quomodo harmoniae rhythmique apte adhibeantur ad *ἦθος* quoddam servandum diligenter cognoscat; cuius rei scientiam non harmonicae vel rhythmicae, verum seiunctae ab illis de melopoeia et rhythmopoeia disciplinae, hoc est *τῷ χρηστικῷ* deberi [4]). Num igitur haec omnia quae Plutarchus hic exposuit Aristoxenia esse putemus? [5]) an vero, quo eius verba ultro fere nos ducere videntur, antiquiori cuidam tribuamus, qui musicam doctrinam arctius cum philosophia coniunctam tractaverit? [6]) Nam Aristoxenum quidem scimus melopoeiam cum harmonica disciplina coniunxisse, cuius septimam partem efficere eam voluit [7]), et omnino divisionem musices exhibuisse multo Aristidea simpliciorem. De qua quidem ipse nos certiores facere videri possit p. 32, ubi ad musici habitum pertinere dicit harmonicam, rhythmicam, metricam, denique organicam doctrinam; quamquam dici posse scio has quattuor partes nonnisi exemplorum loco esse positas [8]). Certe apud posterioris aetatis scriptores quosdam, quos hic Aristoxenum imitatos esse cum propter quattuor illarum partium consensum tum propter reliquam sententiarum rationem certum est, duas illis additas legimus *ποιητικήν* et *ὑποκριτικήν*, cf. praeter ceteros Porphyrium ad Ptol. p. 191 *τὴν μουσικὴν σύμπασαν διαιρεῖν εἰώθασιν εἴς τε τὴν ἁρμονικὴν καλουμένην πραγματείαν εἴς τε τὴν ῥυθμικὴν καὶ τὴν μετρικήν, εἰς*

---

1) *Ἀπεργαστικός* vocabulum Platonicum est, de rep. p. 527. *Ἐργασία* de musica exercenda adhibet Aristot. Pol. VIII. 7.

2) Significat scriptor *ἁρμονικόν ῥυθμικόν μετρικόν*, sive ut Plato dicit *ἁρμονίαν ῥυθμόν λόγον*

3) *Ἑρμηνεία* est ipsa canendi sive psallendi actio (der Vortrag), cf. Plut. de mus. *ἡ ἑκάστου αὐτῶν ἑρμηνεία οἷον ἥ τ' αὔλησις καὶ ἡ ᾠδὴ καὶ τὰ λοιπὰ τῶν τοιούτων.* Significat igitur *ὀργανικόν, ᾠδικόν* et quae his similia videantur.

4) Plut. de mus. 33.

5) Ita iudicavit Westphalius in editione Plutarchei libelli, qui quod sententiam suam in commentariis se confirmaturum promisit (p. 18), horum commentariorum desiderio hucusque nos teneri notum est.

6) Plut. de mus. 32 *Ἀλλὰ μὴν καὶ τοῖς ἄλλοις αὐτὴν μαθήμασιν ἀναπληρούτω καὶ φιλοσοφίαν ἐπιστησάτω παιδαγωγόν· αὕτη γὰρ ἱκανὴ κρῖναι τὸ χρήσιμον.*

7) Hoc cum ipsius Aristoxeni verbis efficitur elem. h. p. 38, tum eorum usu qui eius vestigia premunt, (Eucl.) Introd. harm. p. 1. 22. Anon. 31. In priore opere *ἀρχῶν ἁρμονικῶν* (l. I.) cum ordinem nondum habuerat Aristoxenus, sed melopoeiam in harmonices partibus omiserat.

8) Bojesen harm. sc. Gr. p. 15.

Digitized by Google

τε τὴν ὀργανικὴν καὶ τὴν ἰδίως κατ' ἐξοχὴν ποιητικὴν καλουμένην καὶ τὴν ταύτης ὑποκριτικήν [1]). Quae deinceps sequuntur cum fere ad verbum cum initio libri Aristoxenii *περὶ ἀρχῶν* (qui apud Meibomium est harmonicorum liber primus) conveniant [2]), facile suspicari possumus etiam priora Porphyrium ab Aristoxeno sumpsisse, eius autem ipsius verba (*τῆς περὶ μέλους ἐπιστήμης πολυμεροῦς οὔσης καὶ διῃρημένης εἰς πλείους ἰδέας*) decurtata ad nostram aetatem pervenisse; ut iam in sex partes musicam ab eo divisam esse verisimile sit. Iam quaestio existit, num forte *ποιητική* ista idem significet atque *τὸ ᾠδικὸν* Aristideum, ut hae duae distribuendi rationes, modo teneamus *τὸ χρηστικὸν* ab Aristoxeno cum technicis coniunctum esse, in ceteris prorsus inter se conveniant; an vero earum concordia ita appareat, ut ipsum *χρηστικόν* et *ποιητικόν* idem valeant, *ᾠδικὸν* autem comprehendatur *τῷ ὑποκριτικῷ*. Nam cum in *ἀρχῶν* libro melopoeia inter harmonicae partes non compareat, videri possit Aristoxenus illo opere omnino doctrinam de canticis componendis a theoretica parte seiunctam peculiari disciplinae attribuere voluisse, quam *ποιητικήν* appellare facile poterat, cum *ποιεῖν* vocabulum non ad poetam solum verum etiam ad musicum pertineret [3]). Quae tamen ratio cum discrepet ab ea quam libro elementorum primo (qui vulgo secundus habetur) sequitur quamque Aristoxeniam fuisse ab eis discimus, qui vestigiis eius insistebant; videtur Aristoxenus in primis suis libris — atque inter primos referendas esse *τὰς ἀρχάς* recte monuit Westphalius — nondum plane neglexisse eam quam usu vigere sciret distribuendi rationem. Quod tamen utut est — nam certo iudicare vix poterimus de eis rebus, de quibus pauca memoriae prodita extant — hoc mihi dilucide apparere videtur, primum Aristideam musicae distributionem cum Aristoxenia non prorsus convenire, deinde vero permultum similitudinis praebere cum alia, quam Platonis iam aetate usu receptam fuisse et Martiani testimonio et rationibus a Plutarcho allatis, immo vel ipsius Platonis testimonio quodammodo confirmari videatur [4]). — Iam cum in musicae partibus

1) Cf. Anon. 13 *ἔστι δὲ τῆς μουσικῆς εἴδη ἕξ· ἁρμονικὸν ῥυθμικὸν μετρικὸν ὀργανικὸν ποιητικὸν ὑποκριτικόν*, ac similiter Anon. 30, ubi deinde plura de harmonicis elementis sequuntur cum Aristoxeni *ἀρχαῖς* fere congruentia.

2) Porph. l. c. *Περὶ δὲ τῆς ἁρμονικῆς σκεπτέον, ἣ τάξει μὲν ὑπάρχει πρώτη, δύναμιν δὲ στοιχειώδη κέκτηται, θεωρητικὴν τῶν πρώτων οὖσαν ἐν μουσικῇ.* Aristox. p. 1 — *τὴν ἁρμονικὴν καλουμένην εἶναι πραγματείαν τῇ τε τάξει πρώτην οὖσαν, ἔχουσάν τε δύναμιν στοιχειώδη· τυγχάνει γὰρ οὖσα τῶν πρώτων θεωρητική*, ut mihi quidem legendum videtur pro eo quod est traditum *πρώτη τῶν θεωρητικῶν*, cum propter Porphyrii verba tum propter verborum ordinem; nam et vocabulo *στοιχειώδη* sic apta additur explicatio, et ea quae sequuntur *ταῦτα δ' ἐστὶν ὅσα συντείνει πρὸς τὴν τῶν συστημάτων τε καὶ τόνων θεωρίαν* nunc demum habent quo pertineant. Cf. Anon. 31 — *τὰ γὰρ ἐν μουσικῇ πρῶτα αὕτη θεωρεῖ.*

3) Cf. Westphal ad Plut. de mus. p. 66.

4) Plato enim cum dicit in Symposio p. 187 C. *καὶ ἐν μὲν αὐτῇ τῇ συστάσει ἁρμονίας τε καὶ*

Digitized by Google

constituendis ad eundem fontem remitti nos videamus, cuius etiam in definitionibus vestigia deprehendimus, tanto magis miraberis incredibilem hominis negligentiam, qui, sicut in determinanda musices notione plures secutus fuerat auctores, ita hic quoque, priusquam ipsam harmonicam doctrinam aggrederetur, huius in septem partes divisionem Aristoxeniam [1]) praemiserit (p. 9, 6), non animadvertens eam cum sua ipsius distributione antea proposita conciliari non posse.

Iam ea considerabimus, quae de materia quam dicit musices Aristides memoriae prodidit. De qua cum sic exponat p. 7 *ὕλη δὲ μουσικῆς φωνὴ καὶ κίνησις σώματος*, apparet eum repetere quae in definienda ipsa arte proposuerat, cum eam diceret esse *τέχνην πρέποντος ἐν φωναῖς καὶ κινήσεσιν*, eademque significare quae Platoni quoque summa in musica visa erant [2]); ut vix dubites quin illa ad eundem fontem referenda sint. Iam ita pergit *τὴν δὲ φωνὴν οἱ μὲν ἀέρα πεπληγμένον, οἱ δὲ ἀέρος πληγὴν ἔφασαν*, itaque vocem ab aliis aerem intelligi ictu quodam percussum, ab aliis hanc ipsam percussionem sive *τὸ πάθος* sic appellari. Prius illud ab optimis grammaticis factum esse tradit Plutarchus (de mus. 2) itaque vocem ab Aeliano Platonico explicatam testatur Porphyrius (ad Ptol. p. 216. 246); *ἀέρος* autem *πληγὴν* eam esse, id quod Aristides sibi magis placere fatetur, Plato et Pythagoraei docuerant [3]). Iam simili ratione *τῆς κινήσεως* definitionem exhibet generalem et philosophicam p. 8, 22 *κίνησις μὲν οὖν ἐστι μεταβολὴ ποιοτήτων εἰς τὰ ὁμογενῆ*, quam de corporis motu figurisque procul dubio intelligi voluit; eam autem p. 7, 12 in diversis consistere temporis momentis affirmat. Haec igitur omnia ab Aristoxeni ratione alienissima ad antiquiorem doctrinam, quam brevitatis causa Platonicam dixerim, referenda sunt. Verum etiam hic rursus duplicis fontis indicium reliquit certissimum; qui propositis quae antiqui illi musicae doctrinae praemittenda censuerunt nunc etiam quibus Aristoxenus harmonicam inauguratus erat exponenda putaverit. Nam sicut ille a vocis motu, quem aut *συνεχῆ*, id est continuum, aut *διαστηματικόν*, i. e. intervallis distinctum (distantem appellat Vitruvius) esse censet, proficiscebatur [4]), — priore scilicet in loquendo,

---

ῥυθμοῦ οὐδὲν χαλεπὸν τὰ ἐρωτικὰ διαγιγνώσκειν — ἀλλ' ἐπειδὰν δέῃ πρὸς τοὺς ἀνθρώπους καταχρῆσθαι ῥυθμῷ τε καὶ ἁρμονίᾳ ἢ ποιοῦντα, ὃ δὴ μελοποιΐαν καλοῦσιν, ἢ χρώμενον ὀρθῶς — quamvis sane disciplinae in partes distributionem exhibere haud voluerit, *τεχνικὸν* tamen et *χρηστικὸν* discernenda putasse videtur.

1) Aristox. p. 32. Introd. (Eucl.) p. 1. Alyp. p. 1. Anon. 10. 31.

2) Plato Phileb. p. 17 *σοφὸν τὴν μουσικὴν* arbitratur *ἐπειδὰν λάβῃς τὰ διαστήματα ὁπόσα ἐστὶ τὸν ἀριθμὸν τῆς φωνῆς ὀξύτητός τε πέρι καὶ βαρύτητος — ἔν τε ταῖς κινήσεσιν αὖ τοῦ σώματος ἕτερα τοιαῦτα ἐνόντα πάθη γιγνόμενα κτλ.*

3) Plato Tim. p. 29 *ὅλως μὲν οὖν φωνὴν θῶμεν τὴν δι' ὤτων ὑπ' ἀέρος ἐγκεφάλου τε καὶ αἵματος μέχρι ψυχῆς πληγὴν διαδεδομένην*. Adrast. ap. Theon. Sm. p. 12.

4) Aristox. p. 8. Introd. p. 2. Porphyr. p. 194. Vitruv. V. 4. Verum ne hoc quidem discrimen Aristoxenus primus constituerat. sed Pythagoraeis iam fuerat cognitum, Nicom. p. 3.

Digitized by Google

altero in modulando utimur — ita etiam Aristides simili prorsus ratione ut ab Aristoxeniis fiebat haec discrimina explanavit, ita tamen, ut duobus illis generibus tertium adderet *μέσον* in recitandis carminibus adhibitum; unde rursus apparet eum non Aristoxeni ipsius verum posterioris cuiusdam scriptoris libro, qui quamquam illum maxime sequeretur tamen hic illic augere eius praecepta conaretur, ad opus suum componendum usum esse [1]. Ea autem omnia cum prioribus ita coniunxit, ut motum (*τὴν κίνησιν*) diceret et simplicem et multiplicem esse, multiplicis autem tria illa esse genera; quae quidem non apte cohaerere inde apparet, quod priora ad corporis, haec autem ad vocis motum pertinent. His igitur ad finem perductis leguntur primo quae de partibus musices dicenda erant; tum vero ad vocis motum revertitur scriptor p. 8, 20 his verbis *τῆς δὲ κατὰ τὴν φωνὴν κινήσεως εἴδη δύο, πολυμερές τε καὶ ἀμερές. περὶ μὲν οὖν τοῦ πολυμεροῦς εἴρηται* — tribus scilicet generibus istis expositis — *τὸ δὲ ἀμερὲς αὐτῆς καὶ ἁπλοῦν τάσις προσαγορεύεται.* Animadvertas velim, et hic et paulo infra [2]) *τάσιν* seu vocis intentionem — nos appellamus Tonhöhe — motum ab Aristide vocari ratione ab Aristoxeno diversissima, ut hic ipse testatur p. 12 addens a nonnullis *τάσιν* esse dictam *ὁμαλότητα κινήσεως ἢ ταυτότητα* [3]). Quo quidem sententiarum discrimine prorsus non intellecto Aristides continuo adiungit Aristoxeniam vocabuli *τάσις* definitionem omnium testimonio confirmatam p. 8, 27 *τάσις δὲ ἐστι μονὴ καὶ στάσις τῆς φωνῆς*, cui addit notas vocabulorum *ἄνεσις ἐπίτασις ὀξύτης βαρύτης* (Erniedrigung Erhöhung Höhe Tiefe) explicationes prorsus ad Aristoxeni exemplum expressas. Tum vero transit ad soni (*τοῦ φθόγγου*) definitionem [4]), de quo priusquam uberius agere incipit, septem harmonicae doctrinae partes illas Aristoxenias enumerat. Videmus igitur, ut quae supra exposita sunt paucis comprehendantur, etiam de materia musices Aristidem quantulacunque protulerit congessisse partim e libello quodam Aristoxeniam doctrinam continente, partim e prorsus diverso fonte ex antiquioris temporis doctrina derivato; quem quin rursus ad Damoniam sectam pertinere credam quid obstet non video.

Eadem duplicis fontis vestigia deprehendi puto in prima harmonicae disciplinae

---

1) De hoc medio vocis genere alterum extat testimonium Albini, scriptoris latini, apud Boethium I. 12, de quo vide Caesarem griech. Rhythm. p. 4.

2) P. 9, 2 *πᾶσα μὲν οὖν ἁπλῆ κίνησις φωνῆς τάσις.*

3) Aristoxenus ibi monet diverso modo a se ceterisque *κίνησις* vocabulum accipi; quo discrimine recte intellecto, nullo modo pugnare inter se ipsius illorumque vocis *τάσις* definitiones. Ceterum de hac scriptorum discrepantia bene monentem conferas Marquardium ad Aristox. p. 222.

4) Haec soni definitio p. 9. 3 apertissime ostendit scriptoris negligentiam, qui cum eum dicat *ἁπλῆν κίνησιν τῆς μελῳδικῆς φωνῆς*, postquam antea *τὴν μελῳδικὴν φωνὴν* ad motum vocis multiplicem pertinere dixit, simplicem motum eius vocis, quae non sit simplex, sonum appellat.

Digitized by Google

parte quae est de sonis sive *περὶ φθόγγων*[1]), quam quidem Aristoxenus ipse non primam, sed tertiam harmonicae partem esse voluit. Bipartitam autem hanc Aristides exhibet disputationem, cum primo de sonorum serie nominibusque exponat usque ad p. 11. 32, deinde diversa sonorum genera enumeret. Initium rursus a *φθόγγου* definitione facit eumque dicit esse *φωνῆς ἐμμελοῦς μέρος ἐλάχιστον*. Aristoxenii eum definierant *φωνῆς* seu *φωνῆς ἐμμελοῦς πτῶσιν ἐπὶ μίαν τάσιν*[2]). Ab his igitur Aristidem abhorrere, proxime autem accedere videmus ad eam definitionem, quam Nicomachus (p. 24) ut antiquiorem opponit Aristoxeniae *φθόγγος ἐστὶ φωνὴ ἄτομος, οἷον μονὰς κατ' ἀκολουθίαν*, cui proxime accedunt quae Anonymus habet 49 *ἔστι δὲ πῶν ἐν μουσικῇ ὁ φθόγγος τὸ ἐλάχιστον καὶ ἀδιαίρετον, ὡς μονὰς ἐν ἀριθμῷ καὶ σημεῖον ἐν γραμμῇ*[3]), quaeque amplius persequitur Adrastus Peripateticus (cf. Theon. Sm. p. 78). Eadem sententia, qua sonus minima quaedam particula esse perhibetur eorum quae ad auditum perveniant, et cum temporis momento vel littera comparatur, occurrit praeterea apud Plutarchum (de mus. p. 35) et Porphyrium (ad Ptol. p. 262). In hac testium varietate cum pro certo cui fonti illa tribuenda sint affirmare vix audeas, tamen cum propter ipsius definitionis naturam tum propter Nicomachi Adrastique testimonium malim eam antiquiori disciplinae tribuere.

Transitum scriptor sibi parat ea sententia, ut sonos natura innumeros cogitari, usu autem si tria genera comprehendantur octo et viginti receptos esse dicat; quam sententiam Aristoxeniam esse testantur Introd. (Eucl.) p. 3. Porph. p. 255. Aristoxenii autem cum sonos ita enumerare soleant, ut singulorum generum ratione habita, diatoni scilicet, chromatici et enarmonii, ter describant octodecim sonorum seriem[4]), Aristides generibus permixtis statim viginti octo numerum complet. Ubi id praeterea memoratu dignum est, quod C. Ianium verbo monuisse video, sonum medio (*τῇ μέσῃ*) proximum ac plerumque *παραμέσην* (sc. *χορδήν*) appellatum ab Aristide ad Attici sermonis elegantiam propius accedente *παράμεσον* vocari, ut etiam apud Nicomachum (p. 22) et Anonymum (70) habemus, quamquam hi etiam altera forma utuntur. Verum haec mihi non sufficere videntur ut prorsus negem eam enumerationem ex libro Aristoxenio ita concinnari potuisse. Quod tamen certissime negarim fieri potuisse in ea quae p. 10, 6 sequitur singulorum sonorum explicatione uberiore. Plura enim eorum, quae hic leguntur, non solum ab Aristoxeni sententia sunt aliena, verum etiam vetustioris doctrinae vestigia ostendunt

---

1) P. 9. 17 — p. 13, 7.

2) Aristox. p. 15. Gaud. p. 2 (*φωνῆς πτῶσις*). Introd. 1 (*φωνῆς πτῶσις ἐμμελής*). Ceteri *φωνῆς ἐμμελοῦς*, Porph. p. 262 (qui ita ab Aristoxeniis dici testatur), Sext. Empir. adv. mus. 42, Anon. 21. Recte omitti *ἐπίθετον* illud monuit Bellerm. ad Anon. p. 29.

3) Haec amplius persequitur Anonymus alter § 21.

4) Introd. p. 3. Vitruv. V. 3.

Digitized by Google

apertissima. Cuius rei exemplum infra perscripsi. In singulis enim tetrachordis tertius maxime sonus, si a gravitate ordimur, cum in tribus generibus diversam obtineat tensionem, quo genere canticum sit compositum ostendit [1]). Eos igitur sonos Aristides primum tetrachordi generisque nominibus significat (*ὑπάτων ἐναρμόνιος, μέσων διάτονος*), hisque tum eam appellationem addit, quae sono ipsi propria omniumque generum communis sit. *Λιχανούς* igitur eos appellat in tetrachordo *μέσων* (p. 10, 28), *παρανήτας* in acutioribus tetrachordis (p. 11, 9. 18. 26); in gravissimo autem (*ὑπάτων*) tetrachordo communi nomine *ὑπερυπάτας* vocari dicit, cum apud Aristoxenum sint *λιχανοὶ ὑπάτων* [2]). Antiquiore scilicet tempore, quo sonorum numerus intra unius *διὰ πασῶν* systematis fines sese continebat nec plures citharae chordae erant quam octo, harum gravissima simpliciter nominabatur *ὑπάτη*, cum postea, addito *ὑπάτων* tetrachordo graviore, appellaretur *ὑπάτη μέσων*. Huic igitur quae prima in gravitatem addita est cum *ὑπὲρ τὴν ὑπάτην* sita esse crederetur, appellata est *ὑπερυπάτη* [3]), sicut a quibusdam sonus tertius *μέσων* tetrachordi (*λιχανὸς μέσων*) vocabatur *ὑπερμέση* [4]). Illud igitur vocabulum, cuius nulla vis esse poterat postquam systema quod dicebant perfectum absolutum erat et quo neque Aristoxenus neque qui eum secuti sunt utuntur, tamen a quibusdam musicis antiquiori doctrinae deditis usu retentum videmus, in quibus praeter Aristidem Thrasyllum Platonicum apparere [5]) memoratu dignum videtur.

Hoc primo exemplo proposito non ita multum tribuam explicationi vocabuli *λιχανός* a digito ad sonum translati (p. 10, 29), quam praeter nostrum exhibent Nicomachus (p. 22) et Boethius (I, 22), Pythagoricae doctrinae uterque addictus; neque porro vocabuli *νήτη* interpretationi quamquam *τῶν παλαιῶν* testimonio firmatae (p. 11, 12 *νέατον γὰρ ἐκάλουν τὸ ἔσχατον οἱ παλαιοί*, cf. Nicom. p. 6 *καὶ γὰρ νέατον τὸ κατώτατον*); nam multo

---

1) Notum est musicae veterum peritis, tetrachorda ita ab eis composita fuisse ut in genere diatono semitonium sequerentur duo toni, in chromatico primum duo semitonia ac tum *τριημιτόνιον* (kleine Terz) positum esset; in enarmonio autem initium faceret bis repetita *δίεσις* sive quarta toni pars, quam sequebatur *δίτονον ἀσύνθετον* (eine grosse Terz).

2) Introd. (Eucl.) p. 3. Vitruv. V. 4. 5.

3) Boeth. inst. mus. I. 20 „Prophrastus autem Periotes [leg. Theophrastus autem Pierites, cf. Nicom. p. 35 ibique Meib.] ad graviorem partem unam addidit chordam, ut faceret totum enneachordum. Quae quoniam super hypaten est addita, hyperhypate est nuncupata.“ Non recte de hac re iud. Meibom. ad Nicom. p. 7.

4) Nicom. p. 7.

5) Thrasyll. apud Theon. Smyrn. p. 138. 141 (Bull.) *ἥ τε ὑπερυπάτη καλουμένη, ἡ καὶ διάτονος ὑπάτων*. Bullialdi codices fere constanter *παρυπάτη* exhibent, quae lectio comparatis Aristidis Boethiique locis facile mutari poterat. Rectum *ὑπερυπάτη* exstat etiam in codice Monacensi 104, quo ad Aristidem emendandum mihi uti licuit, quique fol. 290 nonnulla Theonis capita exhibet.

Digitized by Google

maioris momenti illud mihi esse videtur, quod systema *διὰ πασῶν* (die Octave) perfectum sive *τέλειον* nominatur [1]). Nam perfectum sane erat antiquitus, cum sonorum ambitus eo esset terminatus; Aristoxenus autem quique eum sequuntur duo tantum cognoverunt *συστήματα τέλεια*, alterum *δὶς διὰ πασῶν*, alterum *διὰ πασῶν καὶ διὰ τεσσάρων* intervallo finitum [2]). Horum exemplorum ratione habita non possum non mihi persuasum habere Aristidem in hac parte aut veteris scriptoris librum aut fortasse etiam posterioris cuiusdam qui veterum dicendi rationem retineret adhibuisse.

Iam quibus rationibus soni inter se distinguantur explicat p. 11, 32 usque ad p. 13, 7 tanta quidem negligentia, ut e diversis fontibus haec esse conflata ipse nobis quasi ante oculos posuerit. Nam postquam primum sonos aut *ἑστῶτας* aut *φερομένους* esse, deinde dividi in *βαρυπύκνους μεσοπύκνους ὀξυπύκνους ἀπύκνους*, postremo alios eorum *συμφώνους* alios *διαφώνους* alios *ὁμοφώνους* esse pronuntiavit, p. 12, 27 ita pergit *διαφοραὶ δὲ φθόγγων πλείους· πρώτη μὲν κ. τ. λ.*, quasi vero quas supra perscripserat non fuerint sonorum differentiae. Primum igitur discrimen, quo soni in tetrachordi dispositione aut firmum stabilemque locum obtinere (*ἑστῶτες φθόγγοι*) aut eum pro generum diversitate mutare dicuntur (*φερόμενοι*) ex Aristoxeno eiusque sectatoribus notissimum est [3]), quorum rationem Aristides praeter cetera eo secutus est hoc loco, quod hoc discrimen continuo post sonorum enumerationem proposuit. Vocabuli *φερόμενοι* loco, quo praeter Aristidem Euclides et Bacchius usi sunt, ab Aristoxeniis dicitur *κινούμενοι*, cui rei quamquam non ita multum tribuam, haud tamen reticeam teste ipso Aristide (p. 95) a Damone exhibitas esse *ἁρμονίας τῶν φερομένων φθόγγων*. Ipsis sane verbis, quibus *φερόμενοι* explicantur ab Aristide (*διὰ τὸ ποτὲ μὲν ἐλάττω ποτὲ δὲ μείζω δηλοῦν διαστήματα κατὰ τὰς ποιὰς τῶν τετραχόρδων συνθέσεις*) Aristoxenia reddita est sententia, cf. Vitruv. l. c. „ei autem qui moventur recipiunt virtutes alias; intervalla enim et distantias habent crescentes." Huic primo discrimini Aristides, etiam hic Aristoxeniorum exemplum secutus, statim subiungit illud quo soni diversi esse dicuntur prout aut gravissimum aut medium aut acutissimum spissi, i. e. *τοῦ πυκνοῦ* [4]) locum obtineant (*βαρύπυκνοι μεσόπυκνοι ὀξύπυκνοι*) aut eius

---

1) P. 11, 15 *Συνημμένων δὲ ἐκλήθη τὸ ὅλον σύστημα ὅτι τῷ προκειμένῳ τελείῳ τῷ μέχρι μέσης συνῆπται.*

2) Aristox. p. 6. Introd. p. 17. Gaud. p. 8. Aristides *τὸ διὰ πασῶν* rursus *τέλειον* nominat in doctrina de systematis (p. 16, 34) generibusque (p. 21, 6). Cf. p. 119. 133. 141.

3) Aristox. p. 22. Introd. p. 6. Alyp. p. 2. Vitruv. V, 5, qui priores stantes, alteros aut vagantes aut mobiles appellat.

4) *Τὸ πυκνόν* accuratissime explicatur ab Aristoxeno p. 24 *πυκνὸν λεγέσθω τὸ ἐκ δύο διαστημάτων συνεστηκός, ἃ συντεθέντα ἔλαττον διάστημα περιέξει τοῦ λειπομένου διαστήματος ἐν τῷ διὰ τεσσάρων.*

Digitized by Google

prorsus sint expertes (ἄπυκνοι). Sane hoc quoque discrimen iam antiquioribus notum neque ab Aristoxeno inventum esse eo maxime efficitur, quod enarmonio tantum et chromatico generi aptum est, in usitatissimo autem διατόνῳ, in quo spissum non invenitur, locum non habet; cui convenit illud quod has sonorum species antiquitus non quattuor verum tres tantum fuisse Didymi testimonio confirmatur [1]), quae praeterea aliis nominibus vocabantur ὑπατοειδεῖς παρυπατοειδεῖς λιχανοειδεῖς [2]), ab ipso Aristide hoc loco additis. Nihilo tamen setius cum propter ipsum rerum ordinem tum quod tribus illis sonorum generibus quartum addidit Aristides τοὺς ἀπύκνους, quorum certa vestigia apud Aristoxenios tantum invenimus [3]), etiam hanc sicut priorem differentiam ex Aristoxeniae doctrinae fonte quodam fluxisse arbitror; quod ut faciam etiam eo adducor, quod differentiis illis soni non separati neque per se quisque, verum ea ratione considerantur et comparantur, qua certo quodam systemate inter se coniuncti sunt certamque in eo sedem obtinent, τῇ δυνάμει scilicet, non simpliciter τάσει [4]). Δυνάμεις autem τῶν φθόγγων se maxime expositurum promiserat Aristoxenus p. 36, neque omnino aliud sonorum discrimen tractasse videtur.

Sequitur apud Aristidem (p. 10, 18) nova sonorum divisio, qua dicuntur aut σύμφωνοι (consoni) esse aut διάφωνοι (dissoni) aut ὁμόφωνοι (unisoni). Hoc apud Aristoxenum eiusque sectatores non sonorum, verum intervallorum discrimen exhibetur, idque rectissime; nihil enim earum rerum sentitur nisi pluribus sonis coniunctis [5]). Propterea duo tantum genera, συμφώνους et διαφώνους, proposuerant illi; nam ὁμόφωνος vocabulum cum de intervallis adhiberi non potuerit, apud Aristoxenum non occurrit, verum apud eos maxime musicos qui Pythagoricae doctrinae erant addicti [6]). Etiam quae de

1) Porph. p. 211, ubi ab Archestrato. Pythagoricae magis quam aliorum doctrinae addicto, ita propositae dicuntur.

2) Cf. Bacch. p. 11 εἴδη πόσα φθόγγων; τρία. τίνα. ταῦτα· ὑπατοειδῆ, παρυπατοειδῆ, λιχανοειδῆ. Idem sine dubio significant vocabula ἔσχατον μέσον ἡγούμενον, Bacch. p. 17.

3) Introd. p. 6. Alyp. p. 2. — Bacch. p. 9.

4) Quid significet δύναμις, statim e sequentibus apud Aristidem verbis discere potes, ubi ὁμόφωνοι φθόγγοι dicuntur δύναμιν ἀλλοίαν φωνῆς, τάσιν δὲ ἴσην obtinere. Ceterum conferenda sunt quae de his accurate disputavit Bellerm. ad Anon. p. 10.

5) Aristox. p. 44. Introd. p. 8. Vitruv. V. 4 „ei concentus procreantur ex coniunctione sonituum, qui graece φθόγγοι dicuntur.“ Quod diximus, non infirmari censebis eo quod etiam apud Aristoxenum φθόγγοι σύμφωνοι nominantur p. 16 etc.

6) Nicom. p. 33. Dionys. apud Porph. p. 219. Quartum illis τὸ παράφωνον addunt Gaudentius (p. 3. 11) et Thrasyllus (Theon. p. 77). Ptolemaeus, qui ὁμόφωνος vocabulo alia significatione utitur, vulgarem eius sententiam ἰσοτονία vocabulo expressit, quam tamen ὁμοφωνίαν appellatam esse ab antiquis (ὑπὸ τῶν παλαιῶν) testatur Porph. p. 287. Aristideae doctrinae simillima tradit Sext. Emp. adv. mus. 42.

Digitized by Google

consonantiae vi ac natura adduntur, eis simillima quamvis non prorsus paria a Pythagoraeis Platonicisque musicis traduntur[1]). Verum tamen cum de consonantiis Aristoxenum quoque copiose egisse, ipsiusque rei definitionem exhibuisse certum sit, pro certo diiudicare vix ausim unde haec Aristides sumpserit, quorum fortasse summam ex Aristoxenii cuiusdam libro depromptam aliorumque aut suis commentis auctam iniusto loco inseruit.

Priores igitur illas sonorum differentias pro parte saltem ad Aristoxeni praecepta referre licuit; quae sequuntur, eis rursus ad Platonicorum sententias remitti nos videbimus. Quorum initium iam supra mirati sumus ita institutum esse, quasi nunc demum de sonorum differentia dicendum esset. Quinque igitur eorum dicit esse *διαφοράς*; *πρώτη μὲν* (p. 12, 28) *ἡ κατὰ τὴν τάσιν, ἐν ὀξύτητι καὶ βαρύτητι.* Hoc autem discrimen initio posuisse Platonicos testes sunt Thrasyllus et Adrastus, e quorum libris Theon haec desumpsit p. 78 *καὶ τῶν φθόγγων οἱ μὲν ὀξεῖς οἱ δὲ βαρεῖς οἱ δὲ μέσοι*, p. 79 *διαφέρουσι δὲ ἀλλήλων οἱ φθόγγοι ταῖς τάσεσι, ἐπεὶ οἱ μὲν αὐτῶν ὀξύτεροι οἱ δὲ βαρύτεροι.* Apud Aristoxenios nihil eiusmodi occurrit, qui cum illud esse *τῆς τάσεως* discrimen perhiberent, *φθόγγον* autem *πτῶσιν ἐπὶ μίαν τάσιν* censerent, nolebant certe sua ipsorum verba repetere ita ut rursus in sonis hoc discrimen tractarent. Ipse Aristoxenus sonos non ut *τάσεις* verum ut *δυνάμεις* se tractaturum affirmare videtur p. 36[2]).

Δευτέρα δὲ, inquit porro, *ἡ κατὰ διαστήματος μετοχήν, ὅταν ὁ μὲν ἑνὶ κοινωνῶν, ὁ δὲ πλείοσι θεωρῆται.* Quae si Meibomius ita explicat »sic proslambanomenos cum mese tantum communionem habere spectatur — mese autem cum pluribus intervallis communionem habet, nimirum cum proslambanomeno, cum hypate meson, cum nete synemmenou etc.«, me quidem non intelligere fateor qualem hic significet communionem et cur ea non eodem modo proslambanomeno cum hypate meson ceterisque intercedat[3]). Vocabula *κοινός* et *κοινωνεῖν* apud musicos significant aut sonum aliquem duobus intervallis seu systematis communem esse ita ut alterius sit acutior alterius gravior[4]), aut simpliciter in eis locum aliquem obtinere[5]); quae quidem in intervallis

1) Nicom. p. 25. Aelian. ap. Porph. p. 218. Adrast. ap. Porph. p. 270 Cf. etiam Bacch. p. 2.

2) *Τρίτον ἂν τι μέρος εἴη τῆς ὅλης πραγματείας τὸ περὶ φθόγγων εἰπεῖν, ὅσοι τέ εἰσι, καὶ τίνι γνωρίζονται, καὶ πότερον τάσεις τινές εἰσιν, ὥσπερ οἱ πολλοὶ ὑπολαμβάνουσιν, ἢ δυνάμεις, καὶ αὐτὸ τοῦτο τί ποτ' ἐστὶν ἡ δύναμις.*

3) Neque clariora sunt quae Bojesen harm. p. 45 de ea re protulit.

4) Bacch. p. 10 *ὅταν δύο τετραχόρδων ὁμοιοσχήμων φθόγγος ἐφ' ἑκάτερα κοινωνῇ.* Gaud. p. 10 *συνῆπται δὲ ἀλλήλοις [τετράχορδα] κατὰ κοινὸν φθόγγον.* Arist. Qu. p. 16 *συνημμένα, ὧν εἷς φθόγγος γίνεται κοινός.*

5) Arist. Qu. p. 10 de proslambanomeno, *ὅτι τῶν ὀνομαζομένων τετραχόρδων οὐδενὶ κοινωνεῖ.* p. 12 *ἄπυκνοι, οἱ τῆς κατὰ τὸ πυκνὸν τετραχόρδου διαθέσεως κατὰ μηδένα κοινωνοῦντες τόπον.* Cf. Introd. p. 21 — *ὅμοιοι φθόγγοι κατὰ τὴν τοῦ πυκνοῦ μετοχήν.*

Digitized by Google

prorsus inter se congruunt, cum is tantum sonus in duobus simul intervallis locum obtinere possit, qui terminos eorum efficit ita ut diximus. Ita extremi tetrachordorum soni, siquidem a tetrachordo hic proficisci licet, ad unum tantum eius intervallum, contra qui medii eorum sunt, ad plura simul pertinere dici possunt.

Tertio loco eadem sonorum differentia proponitur *κατὰ συστήματος μετοχὴν* (*ὅταν ὁ μὲν ἑνός, ὁ δὲ δυοῖν μετέχῃ συστημάτων*), quae similiter explicari posse videantur ita ut verbi gratia *μέση* communis sit *μέσων* et *συνημμένων* tetrachordo, *παραμέση* ad solum *διεζευγμένων* pertineat. Meibomius haec de duobus perfectis systematis dicta putavit: alios enim sonos utrique esse communes, alios (ut *τρίτη συνημμένων*) alterutri tantum proprios. Quae quidem certa ratione diiudicare cum ampliorem postulet disputationem tum hoc loco non ita videtur necessarium esse; quamobrem transimus ad quartam differentiam commemorandam, quae est *κατὰ τὸν τῆς φωνῆς τόπον· ὅταν ὁ μὲν μείζονος ὁ δὲ ἐλάττονος ᾖ τόπου*. *Τόπον* hic significat id vocis spatium, intra quod sonus quidam, generibus modulationis commutatis, moveri possit [1]); velut *ὁ τῆς λιχανοῦ τόπος* totum tonum complectitur, ut quae in genere enarmonio ditono, in diatono autem toni intervallo ab acutissimo tetrachordi sono distet. Ita haec differentia congruit fere cum illo *ἑστώτων καὶ φερομένων* eorumque qui his subiuncti sunt *ὑπατοειδῶν παρυπατοειδῶν λιχανοειδῶν* discrimine [2]), quae quidem verba apud eum scriptorem, unde haec sumpsit Aristides, hoc loco revera extitisse mihi postremis huius loci verbis effici videtur, ubi horum ipsorum certum quoddam *ἦθος* dicitur esse.

Cui autem haec et priora discrimina debuerit, non tam ex ipsorum quae exponantur natura, quam e ratione qua cum ceteris coniuncta sunt colligi poterit. Nihil enim dubitationis praebere poterit quinta differentia quae est *κατὰ τὸ ἦθος· ἕτερα γὰρ ἤθη τοῖς ὀξυτέροις, ἕτερα τοῖς βαρυτέροις ἐπιτρέχει, καὶ ἕτερα μὲν παρυπατοειδέσιν, ἕτερα δὲ λιχανοειδέσιν.* Quae qui legerit, meminerit sine dubio rursus Damonis illius, quem supra vidimus in cognoscenda musicae vi ethica plurimum operae posuisse. Et revera haec ex Damoniae doctrinae fonte hausta esse inde efficitur, quod hanc ipsam sententiam, qua vis illa musicae in minimis eius elementis, ipsis scilicet sonis, conspicua esse dicatur, ab Aristide uberius tractari infra videmus Damone ipso in testimonium vocato. Huc pertinent praeter cetera verba quae p. 91 legimus *ἔστιν οὖν κἀπὶ τῶν φθόγγων αὕτη πρὸς ἀλλήλους ἡ διαφορὰ ἣν ἐν τοῖς κατ' ἀρχὰς κατὰ τὸ ἦθος ὡριζόμεθα. οἱ μὲν γὰρ στερεοί τέ εἰσι καὶ*

1) Aristox. p. 26 *οἱ τόποι τῶν λιχανῶν*. 48 *τόποι τῶν κινουμένων φθόγγων ἐν ταῖς τῶν γενῶν διαφοραῖς*.

2) *Λιχανοειδὴς τόπος* dixit Aristoxenus. Ipse Aristides ubi p. 131 elementa musica cum universi mundi ordine, et *βαρυπύκνους φθόγγους* cum eis comparat quae stent *κατὰ τόπον* (p. 131), ostendit se quoque *τὸ ἑστάναι* et *κινεῖσθαι* in sonis ad *τόπον* pertinere putasse.

Digitized by Google

ἄρρενες, οἱ δὲ ἀνειμένοι καὶ θηλύτεροι· καὶ τούτων ἕτεροι μεταξὺ μεμιγμένοι μὲν ἐξ ἀμφοῖν κτλ., quae amplius persequitur verbis sane memoratu dignissimis p. 95 *ὅτι γὰρ δι' ὁμοιότητος οἱ φθόγγοι καὶ συνεχοῦς μελῳδίας πλάττουσί τε οὐκ ὂν ἦθος — καὶ ἐνδομυχοῦν ἐξάγουσιν, ἐδήλουν καὶ οἱ περὶ Δάμωνα. ἐν γοῦν ταῖς ὑπ' αὐτοῦ παραδεδομέναις ἁρμονίαις τῶν φερομένων φθόγγων ὁτὲ μὲν τοὺς θήλεις, ὁτὲ δὲ τοὺς ἄρρενάς ἐστιν εὑρεῖν πλεονάζοντας, ἢ ἐπ' ἔλαττον, ἢ οὐδ' ὅλως παρειλημμένους, δῆλον ὡς κατὰ τὸ ἦθος ψυχῆς ἑκάστης καὶ ἁρμονίας χρησιμευούσης* [1]. De quibus Damonis harmoniis utinam plura essent memoriae prodita; qualem enim ethicam illam vim antiqui musici sibi ingenio formarent, sic demum pro certo cognoscere possemus. Verum de hac re cum nunc quidem non uberius disputandum sit, id tantum videtur hoc loco non sine causa moneri posse, ea potissimum a veteribus de sonorum vi ethica doceri, quae ne a nostratium quidem musicorum sensu admodum abhorrere videantur. Haud sane hodie solemus musicae opera ita quasi dissecare, ut admirabilem illam vim, qua concentus, rhythmi, cantilenae animos tangant, ad singulos sonos persequi conemur; verum tamen si quis interrogare velit, cur vel singulis sonis diverso modo moveamur, huic si musicam tantum rationem spectamus, id solum responderi posse puto, primum quod gravitate et acumine inter se diversi sint, ac tum quod certum in modo quodam locum obtineant, certaque ratione cum principe sono coniuncta sint.

Verum haec hactenus. Nam etsi praeter ea, quae prooemii loco posita erant ab Aristide, primam tantum harmonicae partem hic consideravimus, tamen ne fines per hanc occasionem nobis concessos egrediamur, quae de ceteris partibus dicenda videantur, in aliud tempus differamus. Ex eis autem, quae hucusque a nobis disputata sunt, facile intellegis, quo evaserit Westphalii sententia de Aristoxeno praecipuo Aristidis fonte. Eorum enim, quae nunc tractare licuit, vidimus admodum pauca deberi Aristoxeno, quae fere contineantur ipso rerum ordine et nonnullis summi sane momenti praeceptis; pleraque autem doctrinam ab Aristoxenia diversam et antiquiori aetati propriam ostendere. Eodem modo rem comparatam invenerit, si quis conabitur per ceteras harmonicae partes hanc quaestionem persequi. Videbit intervallorum (p. 13, 12 — p. 15, 8 infr.) discrimina Aristoxenia [2] quibusdam ab eo alienis aucta exhiberi, eis praeterea immixta esse quae ad Pythogoricas numerorum rationes pertineant, deinde *καταπύκνωσιν* illam seu systematum in *διέσεις* continuas divisionem addi ab Aristoxeno vehe-

---

1) Meibomius haec de canticis intelligenda et *ἁρμονίας* eadem sententia usurpari putavit qua alibi dicitur *μελῳδίαι*; in quo mihi quidem a vero aberrasse videtur. Ceterum cf. quae de metabole *κατὰ ἦθος* exposuit Anon. 27, quam tum locum habere iudicat, *ὅταν ἐν αὐτοῖς τοῖς τετραχόρδοις τὰ ἤθη τῶν φθόγγων τὴν μετάπτωσιν λαμβάνῃ*. Et Bacch. p. 20 *ἤθη τῶν φθόγγων* inter se consonare dicit.

2) Aristox. p. 16, 35. Introd. p. 8.

Digitized by Google

mentissime reprehensam (p. 53). Etiam systematum (p. 15 sq.) genera Aristoxenia brevissime exponit (usque p. 16, 4), eis autem plurima addit ab Aristoxeno alienissima, in quorum fine rursus *ἤθη* illa occurrunt, quorum principia fuisse systemata veteres censuerint. De generum (p. 18, 15) diversitate et compositione cum multa tradantur Aristoxenia, tamen p. 32 exponitur antiquissima quaedam modorum dispositio ad enarmonium tantum *γένος* pertinens, in qua *τὸ διὰ πασῶν* perfectum systema appellatur. Similiter in modis, metabole, melopoeia rem se habere videbit qui adhibitis Aristoxeniae doctrinae certis fontibus, ut ipso Aristoxeno, Introductione harmonica quae Euclidis nomine fertur, Vitruvio, aliis eam partem separare studebit ab eis, quae cum Aristoxeni praeceptis conciliari nequeant.

Longius autem procedere eosque ipsos scriptores librosque appellare, quibus Aristides usus sit ad harmonica sua concinnanda, in tanta litterarum iactura nemo facile audeat. Atque Aristoxeni quidem ipsius librum non mihi videtur adhibuisse, verum brevem eius doctrinae epitomen, quae ne ipsa quidem Aristoxeni doctrinam puram exhibuerit, sed additamentis discipulorum eius auctam; quod quidem in praeceptis de vocis motu cognovimus, cuius duobus generibus Aristoxeniis tertium *τὸ μέσον* addidit Aristides; et cuius rei e ceteris harmonicae partibus etiam plura argumenta petere licebit. Reliquorum autem quae apud eum legimus nonnulla quidem deprehendimus ab Aristide fortasse ipso excogitata sive e suae aetatis doctrina philosophica deprompta; plurima autem eorum proxime accedere vidimus ad eam musicae tractandae rationem, quam Damoniae sectae propriam Platonique maxime comprobatam fuisse certis testimoniis confirmari licuit. Quae tamen cui scriptori debuerit, utrum Platonis aequali, qui Aristoxeno fuerit antiquior, an posteriori cuidam, qui dicendi rationem praeceptaque antiqua servaverit, videtur id quidem mihi pro certo affirmari non posse; immo ne hoc quidem certo definiri posse arbitror, utrum uni potius an pluribus scriptoribus Aristides sua debuisse putandus sit. Fuerunt quidem inter posterioris aetatis musicos complures qui ut ad Platonem melius intelligendum viam pararent artem harmonicam tractarent. Ex horum numero servatus nobis est Theon Smyrnaeus, qui ipse rursus plurima transcripsit e libris Thrasylli Platonici [1]) et Adrasti Peripatici [2]). Verum etiam Aelianum Platonicum scimus, sicut Adrastum, Platonis Timaeum commentariis illustrasse [3]); Eratosthenis autem a pluribus liber appellatur *Πλατωνικός*, e quo tamen

1) Cf. Theon. Sm. p. 75 etc. Libri eius *περὶ ἑπταχόρδου* mentionem facit Porph. p. 270. Is de consonantia non ut Aristides in sonorum, verum in intervallorum doctrina scripserat, Theon. p. 77.

2) *Ἄδραστος ὁ περιπατητικὸς ἐν τοῖς εἰς τὸν Τίμαιον* Porph. p. 270, ubi, quae de consonantia exposuit, ea nonnihil ab Aristideis discrepant. Cf. Theon. p. 78.

3) *Αἰλιανὸς ὁ Πλατωνικὸς εἰς τὸν Τίμαιον γράφων*, Porph. p. 270, qui de voce, consonantia, intervallis teste Porphyrio (p. 216) non plane eadem ratione exposuit atque apud Aristidem legimus.

Digitized by Google

quae de musicis rebus afferuntur, omnino fere ex arithmetico genere sumpta sunt [1]). In eis igitur, quae ex horum scriptorum libris memoriae prodita sunt, certa similitudinis cum Aristide vestigia haud comparuerunt, immo plura quae cum eius sententia conciliari non possint; de aliorum autem scriptis, quae huc pertineant, nihil certi traditum est. Quamobrem incertis coniecturis abstinendum et quousque omnino hic progredi possimus accurate observandum esse arbitror. Nec prorsus inanem in hac quaestione solvenda operam posuisse videbimur, si nobis contigerit ut demonstremus, duplicis maxime doctrinae reliquias in his Aristidis harmonicis coniunctas exhiberi, quae accurate considerando facile inter se discerni possint; earum autem alteram et maiorem partem ad aetatem referendam esse florentis quam maxime artis musicae Graecorum, quam quidem iam Aristoxenus, Alexandri Magni aequalis, multum a prioris temporis perfectione descivisse conqueritur. Hanc autem sententiam occasione oblata futurum spero ut per ceteras Aristidei operis partes persequi possim.

1) Theon. p. 3, 127. 129, 168. 173. Porph. p. 266. Ptolem. II. 14. Eius canonis sectionem si a Nicom. p. 24 Timaeo Platonique oppositam videmus, vix credere poterimus Aristidem eum potissimum adiisse.

Digitized by Google

Schulnachrichten.

I. Schulverfassung.

Sprach- und wissenschaftlicher Unterricht der einzelnen Klassen.

Prima.

Ordinarius: Der Director.

1. Religionslehre: 2 St. a) Katholische: Kurze Uebersicht des apostolischen Glaubensbekenntnisses; die Lehre über die Gnade und über die Rechtfertigung des Menschen; Pflichten des Menschen gegen sich selbst und gegen den Nächsten; Wiederholungen aus dem Gesammtgebiet der Religionswissenschaft. Im Winter Religionslehrer Elvenich; nach Ostern Religionslehrer Brüll. b) Evangelische: Kirchengeschichte. Superintendent Reinhardt.

2. Deutsch: 3 St. Literaturgeschichte bis zum Zeitalter der Reformation, nebst einer Uebersicht über die mittelhochdeutsche Formenlehre und Lectüre ausgewählter Proben. Uebungen im mündlichen Vortrage. Das Wichtigste aus der Logik, verbunden mit Dispositionsübungen. Monatlich ein Aufsatz. Oberlehrer Dr. Deiters.

3. Latein: 8 St. Cic. Brutus und Tac. Agricola. Zwei Bücher aus Livius wurden privatim gelesen nnd cursorisch in der Klasse durchgenommen. Horaz Oden lib. I und III, mit Auswahl; Erklärung lateinisch. Correctur der Pensa und Aufsätze. Mündliche Uebersetzungen; Memorir- Stil- und Sprechübungen. Der Direktor.

4. Griechisch: 6 St. a) Platons Apologie und Kriton, Demosth. Olynth. I und II; privatim Xenoph. Cyr. II. Alle 14 Tage eine schriftliche Arbeit. 4 St. Im Winter: Oberlehrer Elvenich, im Sommer Oberlehrer Dr. Sénéchaute. b) Hom. Il. XI—XV; privatim XVIII und XIX. 2 St. Schulamts-Candidat Akens.

5. Französisch: 2 St. Aus Ploetz Chrestomathie der poetische Theil. Infinitiv, Participien, Wortfolge. Alle 14 Tage eine schriftliche Arbeit.
Oberlehrer Dr. Sénéchaute.

Digitized by Google

6. Hebräisch: 2 St. Wiederholung der regelmässigen Formenlehre. Die Lehre vom schwachen Verbum, dem Nomen und von den Partikeln. Wichtigere Regeln der Syntax. Genesis XLII—XLVIII incl. und einige leichteren Psalmen wurden übersetzt und analysirt. Uebungen im Memoriren hebräischer Stücke und im Uebersetzen aus dem Deutschen in's Hebräische. Religionslehrer Brüll.

7. Geschichte und Geographie: 3 St. Geschichte des Mittelalters, mit besonderer Berücksichtigung der deutschen Geschichte. Wiederholung der Geschichte des Alterthums und der neueren Zeit. Brandenburgisch-preussische Geschichte.

Oberlehrer Dr. Deiters.

8. Mathematik: 4 St. Progressionen, Rentenrechnung, Permutationen, Combinationen, Variationen, binomischer Lehrsatz für jeden Exponenten, Wahrscheinlichkeitsrechnung und deren Anwendung, Kettenbrüche und diophantische Gleichungen. Geometrie des Raumes. Wiederholungen aus allen Gebieten der Arithmetik, Planimetrie und ebenen Trigonometrie. Uebungen im Auflösen von Aufgaben aus allen Gebieten der Elementarmathematik. Schriftliche Arbeiten. Gymnasiallehrer Dr. Werr.

9. Physik: 2 St. Mechanik. Derselbe.

Sekunda.

Ordinarius: Oberlehrer Dr. Deiters im Wintersemester; im Sommersemester Ordinarius der Obersekunda: Derselbe; der Untersekunda: Schulamts-Candidat Geller.

1. Religionslehre: 2 St. a) Katholische: Die Lehre über Gott, über die Erschaffung und Erlösung. Im Winter: Religionslehrer Elvenich; nach Ostern: Religionslehrer Brüll.

b) Evangelische: Mit Prima combinirt.

2. Deutsch: 2 St. Lektüre und Erklärung passender Musterstücke und Wilhelm Tell. Das Wichtigste aus der Rhetorik und Poetik. Dispositionsübungen; Uebungen im freien Vortrag und Deklamiren. Monatlich ein Aufsatz.

Schulamts-Candidat Akens.

3. Latein: 10. St. a) Im Wintersemester: Ciceros Reden de imperio Pompeii und pro Archia poeta; privatim Sallusts Jugurtha. Nach Ostern in Obersekunda: Livius I; privatim Ciceros Cato maior; in Untersekunda: Cicero de senectute, privatim Caes. b. g. VI. Wiederholung und Erweiterung der Kongruenz- und Kasuslehre sowie ausgewählter Theile der Tempus- und Moduslehre. Mündliche Uebersetzungen; Extemporalien, wöchentlich ein Pensum und für Obersekunda Anfänge freier Arbeiten. 8 St. Im Wintersemester: Der Ordinarius; nach Ostern: Die Ordinarien.

b) Virg. Aen. I und II. 2 St. Oberlehrer Dr. Deiters.

Digitized by Google

4. Griechisch: 6 St. Im Winter: Xenoph. Anab. I; Hom. Od. V, privatim VIII. Nach Ostern: in Obersekunda Herodot I, mit Auswahl; Hom. Od. VI und VII; privatim IX; in Untersekunda: Herod. II, mit Auswahl; Hom. I. Wiederholung der Formenlehre; Kasuslehre und in Obersekunda Tempus- und Moduslehre; wöchentlich ein Extemporale und alle 14 Tage ein Pensum. Im Winter Schulamts-Candidat Akens;
nach Ostern in Obersekunda: Derselbe.
In Untersekunda der Ordinarius.

5. Französisch: 2 St. Syntax in Verbindung mit mündlichen Uebersetzungen. Alle 14 Tage eine schriftliche Arbeit. Lektüre aus Ploetz' Chrestomathie.
Oberlehrer Dr. Sénéchaute.

6. Hebräisch: 3 St. Die regelmässige Formenlehre. Uebersetzung und Analyse hebräischer Uebungsstücke; Uebungen im Memoriren und im Uebersetzen aus dem Deutschen ins Hebräische. Religionslehrer Brüll.

7. Geschichte und Geographie: 3 St. Geschichte der Griechen nebst einer Uebersicht der Geschichte der orientalischen Völker des Alterthums. Wiederholung der Geographie der aussereuropäischen Erdtheile. Oberlehrer Dr. Deiters.

8. Mathematik: 4 St. Gleichungen vom ersten Grade mit mehreren unbekannten Grössen; Gleichungen vom zweiten Grade; Theorie der Potenzen mit ganzen, gebrochenen und negativen Exponenten, der Wurzeln und Logarithmen; Zinseszinsrechnung. Fortsetzung und Vollendung der ebenen Geometrie. Ebene Trigonometrie. Schriftliche Arbeiten. Gymnasiallehrer Dr. Werr.

9. Physik: 1 St. Die allgemeinen Eigenschaften der Körper. Magnetismus und Elektricität. Derselbe.

Tertia.

Ordinarius: Gymnasiallehrer Esser.

1. Religionslehre: 2 St. a) Katholische: Die Sittenlehre. Uebersicht über die Kirchengeschichte. Im Winter Religionslehrer Elvenich;
nach Ostern Religionslehrer Brüll.

b) Evangelische: Mit Prima combinirt.

2. Deutsch: 2 St. Erklärung poetischer und prosaischer Musterstücke. Vortrag memorirter Gedichte. Alle drei Wochen ein Aufsatz. Der Ordinarius.

3. Latein: 10 St. a) Wiederholung der wichtigsten Theile aus der Formenlehre. Die ganze Syntax. Caes. bell. Gall. lib. IV und V. Wöchentlich ein Pensum; mündliche Uebersetzungen. 8 St. Der Ordinarius.

b) Ovid. metam. mit Auswahl. Memorirübungen. 2 St.
Schulamts-Candidat Akens.

Digitized by Google

4. Griechisch: 6 St. Beendigung der Formenlehre. Gelesen wurden verschiedene Abschnitte aus Jacobs zweitem Cursus und aus Xenoph. Anabasis lib. II. c. 1 und 2. Schriftliche Uebersetzungen aus dem Deutschen. Der Ordinarius.

5. Französisch: 2 St. Die unregelmässigen Zeitwörter, die Fürwörter und Adverbien. Alle 14 Tage eine schriftliche Arbeit. Oberlehrer Dr. Sénéchaute.

6. Geschichte und Geographie: 3 St. Geschichte Deutschlands bis zur französischen Revolution, mit besonderer Berücksichtigung des preussischen Staates. Geographie von Europa, mit besonderer Berücksichtigung Deutschlands, soweit der Geschichtsunterricht Veranlassung bot. Der Ordinarius.

